



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

XIII. Apes pauperis. Pro paupere contra divitem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**



## DECLAMATIO XIII.

## APES PAUPERIS.

## ARGUMENTUM.

*Damni per injuriam dati sit actio. Pauper & dives in agro vicini erant junctis hortulis. Habebat dives in horto flores, pauper apes. Questus est dives flores suos decerpi ab apibus pauperis. Denunciavit ut transferret. Illo non transferente, flores suos veneno sparfit. Apes pauperis omnes perierunt. Reus est dives damni injuria dati.*

## PRO PAUPERE CONTRA DIVITEM.

**C**REDO ego, judices, plerosque mirari, quod homo tenuis <sup>1</sup> etiam antequam quod habebam, perdidit, pauper ausus sim iudicio laceffere divitem utique vicinum, eumque notæ impotentiae, expertæ crudelitatis, in tantis fortunæ viribus perniciosum inimicum etiam si venena non habeat. Neque ipse hoc periculum ignoro, expertus non levi documento, quanti steterit mihi quod semel imperata non feci. Sed neque illud, judices, damnum tolerabile est pauperi, cum tam parvis etiam divites moveantur. Et mihi quanquam prope nihil jam relictum est quod perderem, si tamen ista impune sustinenda sint, solatium erit iram potius quam contemptum pati. Nec sane vitæ causa jam superest, si ad cæteras humilitatis nostræ contumelias hoc quoque accedat, ut si habemus aliquid, migrandum sit: si perdidimus, tacendum. Unum oro, ne cui minor dignitate vestra videatur causa litis meæ. Ante omnia enim <sup>2</sup> non debetis expectare ubi pauper magna perdiderim, sed quantum est quod abstulerit mihi dives, minus est quod reliquit. Et tamen quis indignatur apes formula vindicari, cum venenis etiam flosculi vindicentur? Quod tamen judices (quanquam everfus, & ab omni spe tuendæ paupertatis exclusus) æquiore animo tolerarem, si cuius culpæ etiam si injustam pœnam, meritam tamen iram tulissem. Sed circumspicienti omnia nihil mihi  
objici

<sup>1</sup> *Etiam antequam.]* Lego: homo tenuis & jam antequam, quod habebam, perdidit, pauper, ausus sim. Gronovius.

<sup>2</sup> *Non debetis expectare, ubi pauper magna.]* Scribendum, ut pauper magna perdiderim. Idem.



objici potest à divite, nisi quod vicinus sum. Est mihi paternus, judices, agellus, sane angustus & pauper, non vitibus confitus, non frumentis ferax, non pascuis lætus, jejuna modo glebæ, atque humiles thymi, & non late pauperi casæ circumjecta possessio. Verum mihi vel hoc fuit gratissima, quod non fuit digna quam dives concupisceret. In hoc ego vitæ meæ secreto remotus à tumultu civitatis, ignobile ævum agere procul ab ambitu, & omni majoris fortunæ cupiditate constitui: & dum molesta lege naturæ transfretætas, vitam fallere. Hoc mihi parvulum terræ & humilis tugurii rusticum culmen æquitas animi regna fecerat, satisque divitiarum erat, nihil amplius velle. Quid prodest? Sic quoque me latentem invenit invidia. Nec ab initio, judices, vicinus divitis fui, pares circa me habitare domini, & frequentibus villis concors vicinia parvos limites coluit. Quod cives pascebat, nunc divitis unius ortus est. Postquam proximos quosque revellendo terminos ager locupletis latius inundavit: æquatæ solo villæ, & excisa patria sacra, & cum conjugibus parvisque liberis respectantes patrium larem migraverunt veteres coloni: & latæ solitudinis indiscreta unitas facta est, postquam ad apes meas divitis fundus accessit. Nanque ego, judices, dum fortius opus permisit ætas, terram manibus subegi, & difficultatem labore perdomui, & invito solo nonnihil tamen fœcunditatis expressi. Cito labitur dies, & proclivis in pronum fertur ætas: abiere vires, census meus, defectaque labore senectus, magna pars mortis nihil mihi reliquit nisi diligentiam. Circumspicienti quod conveniret opus invalidæ senectutis curæ, succurrebat sequi pecora, foetuque placidi gregis paupertatem tueri: sed ex omni parte circumjectus divitis ager <sup>1</sup> vix tenuem ad gressus meos semitam dabat. Quid agimus? inquam. Undique vallo divitiarum clusi sumus. Hinc hortuli locupletis, hinc

M 4 arva,

<sup>1</sup> Vix tenuem ad gressus meos.] Scribe, ad egressus meos. Sic Tacito duorum egressus soli. Idem.



arva, inde vineta, hinc saltus, <sup>1</sup> nullus terræ datur exitus. Quæramus animal quod volet. Nam quid apibus invenit natura præstantius? Parcæ, fideles, laboriosæ. O animal simile pauperibus! Et sane dabat occasionem mihi opportunitas hortuli mei. Est nanque positus ad ortus solis hyberni, apricus, omnibus ventis medius. Fusus ex proximo fonte rivus, crepitantibus inter radiantes calculos aquis, utrinque ripa virente præterfluit. Satis confiti flores, & viridis quamvis paucarum arborum coma, nascentibus populis prima sedes, unde ego frequenter confertum novæ juventutis agmen ramo gravescente suscepi. Nec me tanta capiebat voluptas, quod fluentia ceris mella conderem, quod ad sustinendas paupertatis impensas deferrem in urbem quod divites emerent, quam quod adversus omnia lassæ tædia ætatis habebam senex quod agerem. Juvabat autem lenta vimina vernis foetibus texere, & ne æstivus ardor aut hyberna vis gravidam penetraret alvum, hiantes rimas tenaci linire fimo, aut fessis apibus ultro præbere mella, aut fugiens examen ære terrere, aut bella sedare pulveris jactum ne quid periculi saltem singulis esset, avidas longe fugare volucres, & arcere parva dictu animalia: reclusas interim scrutari apium domos, ne per vacuas alvos foeda pestis insidiosas texeret plagas. Dederam laboribus meis justam senex missionem, habebam quæ pro me opus facerent. Quo non penetras livor improbe? Quidve scabræ malignitati clausum est? Invidit pauperi dives. Cum evocasset me subito trepidum, totoque fortunæ suæ strepitu circumsteterisset, Quid tu, inquit, non potes imperare apibus tuis, intra privatum volent? ne hortorum meorum floribus infideant? ne in meo rorem legant? Remove, transfer. Impotentissime tyranne, quo? Nunquid tam latum possideo agellum, ut illum apes transvolare non possint? Neque tamen tantum inerat pectori meo robur, ut non perturbarer denunciatione notæ impotentiae. Volui relinquere avitos lares,

<sup>1</sup> Nullus terra datur exitus.] Puto terra, id est, per terrestrem viam. Gronovius.



lares, & conscios natalium parietes, & ipsam nutriculam  
 casam, jamque pauperem focum, & fumosa tecta, & confi-  
 tas meis manibus arbusculas transferre destinatus exul de-  
 creveram. Volui, iudices, decedere, volui, sed nullum  
 potui invenire agellum, in quo non mihi vicinus dives ef-  
 fet. Nec tamen licuit diu quærere. Forte serenus pura luce  
 fulserat dies, & hilaris matutini solis tepor ad cotidiana  
 opera lætius solito agmen effuderat. Quin ipse spectator  
 operis (præcipua nanque hæc mihi voluptas erat) proces-  
 seram, sperans fore ut viderem quemadmodum aliæ libra-  
 tæ pennis onera conferrent, aliæ deposita sarcina in novas  
 prorumperent prædas, & quanquam angusto festinaretur  
 aditu, turba tamen exeuntium non obstaret intrantibus,  
 aliæ militaribus castris pellerent vulgus ignavum, aliæ lon-  
 gum permensæ iter fatigatæ anhelitum traherent, hæc ad  
 æstivum solem porrectas panderet pennas. Miserum me,  
 ignoscite modo gemitibus meis. Non flosculos perdidi,  
 nec caduca folia proximo lapsura vento. Apes cum vola-  
 rent suffugium tenuitatis meæ, solatium senectutis amisi.  
 Nunquam me alias pauperem putavi. triste me exceptit ex-  
 pectatque silentium, & inanis alvi inchoata tantum opera,  
 & rudes ceræ. Vos, iudices, æstimate quatenus recipiatis  
 hunc affectum meum. Libenter bibissem, si invenissem, ve-  
 nenum. Hoc mihi damnum non brumæ glacialis penetra-  
 bilis rigor, non suppressi longa siti flores<sup>1</sup> induxerunt jeju-  
 nam miseris famem, non aviditas injusta domini nihil mel-  
 lis reservantis: non æqualis fessas morbus invasit: non  
 damnatis sedibus suis avias fuga petiere sylvas. Apes pau-  
 per miser in opere perdidi. Paravit homo nefarius ante  
 omnia tantum veneni, quod posset & divitis hortis satis  
 esse, & linivit flores maleficis succis, & in venenum mella

M 5 conver-

<sup>1</sup> Induxerunt jejunam miseris famem.]  
 Lege indixerunt. Ut Suetonius Caligula  
 cap. 26. Ac nonnunquam horreis præclusis,  
 populo famem indixit. Deinde turbata vi-  
 dentur membra orationis, sic forte in  
 ordinem restituenda: Hoc mihi damnum

non brumæ penetrabilis rigor, non aviditas  
 injusta domini nihil mellis reservantis:  
 (hic excidit aut subauditur, dedit) non  
 suppressi longa siti flores indixerunt jejunam  
 miseris famem: non damnatis, &c. Gro-  
 novius.



convertit. Sparfit omnibus floribus mortem: & quanto plura interim corruptit, quam quæ apes abstulissent? Illæ studio quotidiani operis excitatæ, ut primum aurora lucem vocavit, in assueta miseræ pascua volant, ut antequam noctis humorem radii solis ebiberent matutinos legerent rores, & cœlestes aquas ad horreum ferre possent, nec sibi, sed operi biberent. Hic triste spectaculum, & tantum non ipsi qui fecerat, miserandum. Illa ad primum feralis succi haustum insolito consternata gustu fugit, sed fugisse nihil prodest. Illa longiores expetitura pastus, in altum tollitur, vitamque in aura relinquit. Hæc primo statim flosculo immoritur. Illa rigescentibus morte pedibus exanimis, sicut hæserat, pendet. Alia defecta nisu volandi, adhuc per terram languide repit. Si quas tamen usque ad sedem suam distulit mors lentior, sicut ægræ solent sub ipsis pendere portis, in globum nexas, & mutuo amplexas mors sola dividit. Quis figurare possit, quis dicere, quam multas mali formas, quam varia lethi genera fecerint tot mortes? Semel ut ipse tristem finiam expositionem, dicendum est, omnes perdidit. Celebre illud alvearium, & domino suo notius ad nihilum recidit. Audete nunc laceffere diuitem, quibus vitæ causa superest: exerite libertatem fortibus. verbis si quid offenderit, & quod difficillimum fuit, jam expertus est venenum. Quod si mihi fortuna vel ingenii vires, vel suas dedisset, crimen istud non privatam taxationem formulæ merebatur. Venenum leges habere, emere, nosse denique vetant, inevitabilem pestem occulta fraude grassantem. Male hæret ibi innocentia, ubi in potestate est secretum scelus, <sup>1</sup> velut venenum, & quidem præsentaneum, inventum, compositum, datum est. Quantulum interest quis biberit? Homo dedit, & homini dari potest. Non adeo desunt odiorum causæ, ut jam rara simultas sit: & ut videatur aliquis nihil magis quam malos odisse libe-

bit

<sup>1</sup> *Velut venenum, & quidem.* ] Recidendum pro supervacuo & orationem turbante *velut*. Gronovius,



bit aliquando longius manum porrigere, & indulgere animis. Credite mihi iudices, difficilius est venenum invenire, quam inimicum. Sed me conscia mediocritatis infirmitas intra meas tantummodo continet querelas. nam <sup>1</sup> damnum id est, iudices, gravissimum. Pauper vulnus accepi, quod mihi diutius deslendum apud vos quam probandum est. Nam coarguendis quidem criminibus quis labor est adversus confitentem? Habent divites hoc quoque contra nos contumeliosum, quod non tanti videmur ut negent. Porro qui confessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licentiam. <sup>2</sup> Longius ista quam timui quæstio pervenit: non de præterito tantum litigamus: hoc agitur, ut etiam si quid forte reparavero, iterum diviti liceat occidere. In duas enim, quantum animadvertere potui, quæstiones dividit causam, an damnum sit, & an injuria datum. Negat esse damnum, quod animal liberum, & volucre, & vagum, & extra imperia positum perdiderit. Negat injuria datum, quod in privato suo, quod eas quæ sibi nocerent, extinxerit: postremo quod sparsis tantum per flores veneno, ipsæ apes ultro ad mortem venerint. Ut nihil esset quod his possem respondere, æquum erat inter vicinos sic agi? Sed excutiam singula, nec prius meis argumentis nitar, quam diversa repulero. Quoniam quidem quæritur an damnum sit perdere, quod lucrum est habere. Liberum est animal puta: non dico foetus meis manibus exceptos, & intactam conditos sedem, & reservatis ad supplementa generis favis examen vernaculum, quoniam quidem tyrannorum jura defendis, natos in privato meo: puta me vel inanis arboris trunco, vel cavis inventos petris, domum favos retulisse: multa nihilominis quæ libera fuerant, transeunt in jus occupantium, sicut venatio, & occupatio. Nam  
ut cæ-

<sup>1</sup> Damnum id est iudices gravissimum.] Continuanda uno spiritu sequens peritio, hoc modo: nam damnum, (id est, iudices, gravissimum pauper vulnus) accepi. Gronovius.

<sup>2</sup> Longius ista quam timui, quæstio pervenit.] Fortassis, pertinet. Sic apud Livium, ad plures exemplum quam calamitas pertinebat. Idem.



ut cætera animalia hominum causa finxerit providentia, quod omnibus nascitur, industriæ præmium est. Quid autem non liberum natura genuit? Taceo de servis, quos bellorum iniquitas in prædam victoribus dedit, iisdem legibus, eadem fortuna, eadem necessitate natos. Ex eodem cælo spiritum trahunt: <sup>1</sup> nec natura vilis, sed fortuna dominum dedit. Cur <sup>2</sup> infrenatis equis victor insidet? Cur injusto cotidie iugo bouum colla deterimus? Cur in usum vestium sæpe pecori lanæ detrahuntur? (Taceo de sanguine & epulis per mortem paratis) Si omnia quæ libera generantur, naturæ demus, definitis divites esse. Si vero hæc conditio est, ut quicquid ex his animalibus in usum homini cessit, proprium sit habentis: profecto quicquid jure possidetur, injuria aufertur, ut volucres mites, & aliæ quæ per rusticas villas, quæque ditibus cellis saginantur, in quibus tamen domini ambigua possessio est, & vaccæ, & armenta, & omne pecudum genus. Sed illa impositus cohibet magister. Pejuse domino in iis jus est, quibus custode non opus est? Nam si hoc dicitis, nihil esse nostrum quod perire possit, ex nullius animalis damno hæc edi formula potest. Nam & errare pecudes solent, & fugere mancipia. Si hoc in cæteris non obstat, vagari tu nolles apes, in opus exire, & <sup>3</sup> ad cotidianum censum laboris assidui non detrectare militiam. An non ipsæ domum sua sponte revolant, finemque laboris sui sole metiuntur, & omnis intra solitas domos turba conditur, noctemque modesto silentio trahunt? Age porro, ut non sit earum certa possessio dum volant: nempe cum remearunt; concludi, transferri, donari, vænire possunt: in potestate sunt. Quomodo autem potest sine damno meo perire, quod cotidie meum est. At extra imperia positum est. Mirum hercle, si negato

<sup>1</sup> Nec natura vilis, sed fortuna.] Immo illis servis puta. Gronovius.

<sup>2</sup> Infrenatis equis victor insidet.] Lege, vector, ut Virgilius: rapidusque rotis insistere vector. Idem.

<sup>3</sup> Ad cotidianum censum laboris assidui.]

Sane militia solebat augere census. Unde illud: aut vitem posce libello. Sed cum intueor rō quotidianum, malo pensum, ut sit non detrectare militiam, expeditionem, profectiōnem, ad quotidianum pensum assidui laboris. Idem.



commercio sermonis humani, sunt in cæterorum animalium forma. Tamen quam dominus dedit incolunt sedem, lascivientem luxuria fugam tinnitu compescimus. Etiam si diversis regibus coorta seditio ad bellum inflamavit iras, exiguo pulvere, vel unius pœna ducis resedit omnis tumor. Illa vero admiranda sedulitas, quod operi totus infumitur dies, in dominorum reditus ablata suppleatur. Age, si obsequi possent, quid amplius imperares? Intelli- go his vanis ultra necessitatem esse responsum. Si non sunt apes meæ, ne id quidem quod his efficitur, meum est. At- qui nulla unquam inveniri potuit impudentia, quæ fructus mellis in dubium vocaret. Hoc ergo fieri potest, ut quod nascitur, meum sit: quod generat, alienum? Age, si mihi alvi furto abessent, utrum nulla daretur actio? An viminis modo vilisque texti precium formula taxassem, & perinde agerem quasi inanes perdidissem? Nisi fallor, esset æsti- matio & apum. An tandem quas surripere non liceret, li- ceat occidere? Non est damnum quod exutus sum? quod reditus perdididi? quod annuos fructus præsidia paupertatis amisi? Non est damnum id perdidisse, quod (ut proximo utar argumento) si habere voluero, emendum est? Quid ergo tibi opus est maleficis succis, cum liceret palam trucidare, & plenos vel cremare igni, vel aquis immergere alveos? An est aliquod animal, quod non liceat nisi vene- nis occidere? Ut damnum sit, inquit, jure tamen feci, in privato meo. Per fidem vestram, iudices, succurrite exem- plo. non sufficit his partibus unus rusticus pauper. obviam publice eundum est, & objiciendæ adversus nascentem li- centiam consensu manus. Credite mihi, major lite quæstio est. Hoc vobis hodie judicandum est, ubi scelus facere non liceat. Nam cur non hoc idem de homicidio respon- deat? cur non de latrocinio? Non enim jure ista, sed mo- do differunt. Aperitur ingens funeri via, & obluctantia diu legum velut claustris scelera libera porta prorumpunt, si in privatum jura non veniunt, & in manifestissima qua-  
que



que noxa non de facto quæritur, sed de loco, non æqua portione cum sceleratis terras divisimus. Ubi enim non jam divitum privatum est? Parum est proximos æquare terminos, & possessiones suas velut quasdam gentes fluminibus montibusque distinguere. Jam etiam devios saltus, & sylvas vasta solitudine horridas occupant, tot aquæ intra paucorum umbram latent, è finibus suis populus excluditur, nec ullus procedentis finis est, nisi cum & in alterum divitem inciderit. Adhuc tamen spolia transeuntium, & abacti pecorum greges sub hoc titulo defendebantur, jam privati veneni transcriptio est. Iterum ac sæpius, iudices, admoneo, considerate, discite, aut nihil usquam contra jus licet, aut in privato omnia. At enim adversus inferentem damnum justa ultio fuit. Dicam nunc quam iniqua sit invicem injuriæ compensatio, quamque non solum legi adversa, sed etiam paci. Barbarorum mos est populorum, quos procul omnis juris humani societate summos proxima belluis natura efferavit. Nos ideo magistratus legesque à majoribus nostris accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit: & assiduæ scelerum causæ se refellant, si ultio crimen imitabitur. Damnum accepisti. Erat lex, forum, iudex: nisi si vos jure vindicari pudet. At mehercle jam ad arma mittimur, & instituitur perniciofa nocendi contentio, & in vicem legis ira succedit. Premetur quidem obnoxia infirmitas, & paucorum dominio subjecta plebes triste servitium perferet. Est tamen & pauperibus interim dolor: & ut facilius nobis noceri potest, ita vobis latius. Postremo placeas licet tibi opum tuarum fiducia dives, si mihi vivere expedit, pares sumus. Quid ergo? Si quid tibi damni attulissent apes meæ, non mihi auferretur ratio, sed forsitan aliqua daretur & tibi. Nunc vero quid quereris? Credo depopulatos agros, everfosque reditus. Non enim debet leve esse damnum, quod dives ferre non possit. Decerpebant, inquit, flores meos. Ecquid intelligitis, iudices, quanto

*I Nec ullus procedentis finis est.] Forte, procedendi. Gronovius.*



quanto dolore dignum sit quod ego perdidit, si etiam hoc damnum est, flores auferre? Ita plane. Alioqui tu illos in vetustatem reservabas, & durarent adhuc nisi ad hortum tuum apes venissent. Cujus rei inveniri potest brevior ætas? Namque dum immaturos exterior alligat cortex, nondum dixeris florem. Paulatim deinde vividiore succo tumescit uterus, & albentes accipit rimas, necdum tamen flos est. At cum se ruptis jam tunicis in patulum capita fuderunt, & velut fissa in orbem, jamque eorum videtur maturitas, <sup>1</sup> & ignotus occasus est, & jam sine ventis quoque soluta natura, labitur gratia, nec quisquam est flos nisi novus. Quare si dicerem, abstulere peritura, & quæ protinus humi jacuissent, in usus hominum conversa: inauditus tamen livor videretur etiam apibus invidere. Nunc vero differendum mihi est, <sup>2</sup> quam momentosa sit hujus animalis rapina. Nescimus qua pernicitate plerunque vix contactis floribus revolet, discurratque per singulos velox experimento: quam etiam ubi immorantur, libratis pendeant alis. Quis unquam quod ferentem apem viderat, ubi deesset invenit. Quantulum vero est quod ex his manu confitis floribus legant? Præta, sylvæque vel maturæ fructibus vites, & fragrantés thymo colles (quantum conjectura suspicari potest) pabulum ministrant. Non ex omnibus floribus carpunt utilia operi suo, sed in omnibus quærunt. Præsens & quidem protinus illa redditur merces, quod omnibus quibus in sedere, odorem mellis inspirant, & brevi contactu vim sui relinquunt. Hoc tu damnum intelligis? hoc veneno vindicas, quod mehercle inhumanæ etiam fumo prohibuisses? An non te solus vicinus colui? Non frugum mearum primitias omni vere misi? Non si quis ceris novis candidior incidit favus, tuis reservatus est mensis, cum parvis mediocritate munusculis illa semper adjiceretur commendatio: Hoc tibi mittunt apes meæ?

<sup>1</sup> Et ignotus occasus est.] Suspicio: & ad motu occasus est. vicinus, propinquus. Idem.

<sup>2</sup> Quam momentosa sit hujus animalis rapina.] Videtur scripsisse: quam non damnosâ. Idem.



meæ? Puto relata est mihi gratia. Admonui, inquit, & ut transferres denunciavi. Idcirco contumacem merito punisti. Non enim video quid aliud patrocínio tuo conferat hæc denunciatio <sup>1</sup> supervacua, si non licuit tibi facere quod queror: injusta, si licuit: justa aut sine ista, aut ne cum ista quidem valeat. Pudoris vero quod velamentum est, male audere, culpam defendi superbia? An tandem tuas pecudes quamvis diffusa stabula non capient, tibi omne armentis mugiet nemus, tu gregibus arva sulcabis, & ad excolendos agros procedet ignota etiam villicis familia, tuis horreis populi annona pendeat, nec tamen invidemus, nec quisquam tam grave putabit sibi istud fortunæ tuæ pondus. nos si paucas apes intra angustias pauperis horti composuimus, quæ tamen vobis mella faciunt, id prorsus indigne ferendum est? & quod nunquam fando cognitum est, vicinus diviti pauper molestus est? Adeo parum est, plurimum possidere, ut cum servis quoque vestris habere peculium liceat, invidiosum nobis putetis quicquid egestatis nomen excesserit? <sup>2</sup> Tantone his, in hac ut putamus æquissima libertate, legibus vivimus, ut nobis habere medelam non liceat, vobis liceat habere venena? Postremo quidem divitis patrocínio non putavi, iudices, respondendum, nisi rideri vestram majestatem contumeliosa defensione non ferrem. Ultro enim, inquit, ad mortem venerunt apes tuæ. Ita plane. Alioqui tu venenum floribus dederas. Impudentiæne, iudices, ejus assignem, si hoc mihi apud vos obtinuerit, an stultitiæ, si speraverit? Si venenum homini dedisset, diceret ipsum labiis admovisse pocula.

Si

<sup>1</sup> *Supervacua si non licuit.*] Hoc aliquo modo toleres: sed quemadmodum quod sequitur: *injusta si licuit.* Neque enim injustum puto quod licet. Potius: *supervacua, si licuit, tibi facere, quod queror, injusta, si non licuit.* Nec vero est, ad quod commode referas *τὸ valeat*, nisi fortasse quod queror. Suspiciabar aliquando: *Non enim video, quid aliud la-*

*tracínio tuo conferat hæc denunciatio, supervacua, si licuit tibi facere quod queror; injusta, si non licuit: aut sine ista, aut ne cum ista quidem valeat.* id est, excusatum sit tuum latrocínio. Gronovius.

<sup>2</sup> *Tantone his, in hac.*] Scribe: *Tam bonis in hac, ut putamus, æquissima libertate legibus vivimus.* Ironia. Idem.



Si percussorem posuisset in saltu, ipsum in insidias ultro venisse clamaret. Si telum abiecerat in tenebris, illatum sua culpa contenderet. Ego, iudices, quid dico? Duo esse sola quæ omni in crimine spectanda sint, animus, & eventum. Quis animus divitis fuit, cum venenum sparsit? Ut apes perirent. Quis eventus? Perierunt. In summa, iudices, quis dubitet quin damnum ei sit imputandum, sine quo non accidisset? Intellego neque prudentiam vestram desiderare plura de causa, neque vestram fidem ac religionem egere exhortatione vere iudicandi. Quid moror igitur? Tenet me dolor, & assuetæ voluptatis desiderium. Sunt quædam in hac causa, quæ sarcire pœna non possit. Major forsitan materia videatur affectus. Si pauperes amare nisi paria non possumus, & necessario nobis preciosa, quæ sola sunt animus meum extinctæ unius horæ momento tot animæ movent, quod perierunt, de me bene meritæ. Quin ipsum lethi genus addit indignationem: veneno perierunt. Quis hoc ulla satis prosequi possit invidia? Apes veneno? Hæc illis gratia refertur, quod fructibus nostris invigilant? quod quotidiana statione laboris assidui ne damno quidem summoventur? Nam & cætera animalia videtur mihi natura usibus nostris genuisse, hæc etiam deliciis, cum eo quod in illis quæ vel scindendo solo, vel maturando itineri comparamus, multus ante redditus infumitur labor: & cum perdomanda, cum alenda sint, nihil tamen possunt sine homine, & tantum coacta profunt. Apes faciunt injussæ favos: sine ullo rationis humanæ ministerio totus fructus ultro venit. Adjice quod cætera animalia aut satis incurrunt, aut vitibus nocent: primaque, ut fama est, hostiæ causa pecudi fuit læsa fruges. Harum ita innocuus per prata sylvasque discurret labor, ut tantum factum opus appareat. Qua satis digna prosequar laude? Dicam animal quodammodo parvum hominis exemplar? Hoc humana excogitare non potuit solertia. Etiam ratio nostra, quæ sub terris lucrum invenit, quæ maria inquisitione sua

N

fideri-



sideribus immiscuit, hoc tamen efficere, consequi, imitari non potuit. Venena potius invenimus. Jam primum futuræ laudabilis vitæ digna principia, non illas libido progenerat, domitrixque omnium animalium Venus. Utque homines in excusationem sui fabulis tradiderunt, etiam deorum posteritas has regnis suis excepit. Abest inimica virtutum voluptas castis sine labe corporibus. Solæ omnium non edunt foetus, sed faciunt. Ipsæ paulatim sicut stipatæ sunt per mella viviscunt: & , ut oportet animal laboriosum, ex opere nascuntur. Inde ut adolevit juvenus, & ad similes labores ætas roborata convaluit, relinquitur liber parentibus locus. Et ne coacta in angustum multitudo nova turba laboret, quasi habita verecundiæ ratione, cedit populus minor: suspensumque proximis ramis examen, humanas manus expectat. Acceptas cum fide colit fedes. Et cum ingenia nostra (quæ nos scilicet ambitiosi nostri æstimatores, proxima divinis credimus) ad percipiendas disciplinas multo labore desudent, nulla apis nisi artifex nascitur. Quid credas aliud quam divinæ partem mentis his animis inesse? Quid præcipuum referas? Non ut cætera animalia per pastus vaga, incertum quieti capiunt cubile, noctis arbitrio semper habitatura, sed tutas sedes continent. urbes tectis, turba populos imitantur. Non ut feræ volucres, non præsentis modo cibi memores, in diem vivunt: duraturus hyemi reponitur victus, & repletis vere cellis tutus annus est. Etiam cum ad humanos usus opera subducta sunt, reparare amissa contendunt, & labor damno incenditur, & nunquam deficit animus ante, quam locus. Quid quod inter animalia quæ non verba jungunt, <sup>1</sup> non verba rationis invicem negant, tantus operis consensus est, tanta difficillimæ rei laboris concordia? Non humano vitio in proprios quæque usus lucrum ducit: in publicum vivitur, & communes opes congeruntur in medium,

<sup>1</sup> Non verba rationis invicem negant.] Sive malis vincla aut commercia. Grotius. Forte: non jura rationis invicem ligant. novius.



dium, nec fas est deliberare gustu prius quam plena horrea securos spondeant menses. Quis porro tantus ardor operis, quæve officiorum partitio, ut aliæ congerant onera, aliæ accipiant, aliæ limant? quæ severitas in castiganda inertia? Multa dictu visuque miranda. prævidere tempestates, nec dubiose cælo tradere, nec ultra viciniam nubilo tendere. Jam si leves iniquior aura rapuit, ad dirigendos in destinata cursus, modico lapilli pondere librare pennas. Illas majorum pectorum totis pro rege castris procurrere, & inire bella, mortemque honestam pro duce oppetere. Adjice, quod si quas aut ætas longior, aut morbus oppressit, efferruntur prius corpora: posteriorque operum quam funerum cura est. Quid illigare cruribus flores? quid ore succos in publicum ferre? Me tamen ipsius operis præcipua admiratio subit. Non est temere, nec fortuitam figuram, & sedes modo reponendis cibis quæsiisse credas: rudis cera componitur, accedit usibus inenarrabilis decor. Nam primum tenacibus vinculis fundamenta suspendunt, tum ab exordio in omnem partem opus æqualiter crescit, nec quicquam ex inchoatis parum est, quod non sua portione perfectum sit jam, nec alia parte opus esset. Gemina frons ceris imponitur: & cum foraminibus tantum spatium detur, quantum ad generanda examina puram spem capiat (ipsi enim sibi invicem anguli hærent, & ita mutuo vinciuntur atque alligantur, ut quod voles, id medium sit) his textis ne universi mellis effluat pondus, intersepta onera cluduntur. Quis non stupeat hoc fieri posse sine manibus? nulla interveniente doctrina hanc artem nasci? Quid non divinum habent, nisi quod moriuntur? An vero auctorem vini Liberum colimus, primitiæ frugum Cereri referuntur, inventrix oleæ Minerva narratur: mella genuisse minus est, & interponenda gustus voluptate tantum effecisse, quantum ne ipsa quidem rerum natura per se potuit? Ad plurimarum incursum valetudinum remedium est, & præsentissima medicina. Nam quod ad cibos quidem pertinet,



divites viderint. His animalibus aliquis insidiari potuit, & insidiari quare mella facerent? Hæc pestiferis succis exquisita per fraudem morte confecit? & quod sit indignissimum, quo facilius deciperet, fortasse venenum melle permiscuit? Quæ tam inhumana crudelitas? Quis tam inauditus livor? Nihil enim est, quod utaris patrocínio tuo dives, paucorum damno foliorum doluisse te simulas. Dum meas apes occidere vis, flores tuos inutiles fecisti.

## DECLAMATIO XIV.

## ODII POTIO I.

## ARGUMENTUM.

*Meretricis amatori suo pauperi dedit odii portionem. Adolescens desinit amare. Accusat illam veneficii.*

## PRO JUVENE CONTRA MERETRICEM.

**S**ENTIO, judices, hanc quoque calamitatibus meis accessisse novitatem, ut vobis nondum videar odisse. Nec me præterit plurimum perire de nocentissimæ potionis invidia, dum me putatis adhuc impatientia priore miserum. Quæso tamen vel hinc totam delati sceleris probationem gravitas vestra prospiciat, quod dolori meo querelæque non creditur: nec amo, qui accusare possum: nec odi, qui amare mallet. Quid est aliud quod bibi, quam venenum? Licet igitur nocentissima foeminarum rideat quod accuso, & in manifestissimi sceleris confessione per ludibrium malorum evadere tentet meorum: non hoc est quod hodie me torquet ac lacerat, quod à deterrimæ mulieris charitate discessi, sed quod remedii mei patior dolorem. Fidem justitiæ, fidem severitatis humanæ, ne meretrici profit vel quod prævaricatione videor explicatus. Pro me forsitan fuerit, ut amare desinerem: contra me inventum est, ut invitus odissem. Hoc primum itaque judices, à clementia publica peto, ne quod videtis tristem habitu, durumque conspectu, verbis asperum, contentione terribilem:

lem: